

**www.e-rara.ch**

## **Explanatio Vetervm Sanctorum Patrum**

**Oecumenius**

**Venetis, M D LVI**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137749>

De creatione septem diaconorum, & Iudaeorum in Stephanum calumnatione. Cap. VI.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

runt autem eo q̄ non coram Apostolis sed semotis illis hac dixit: tum quia cum ipsis consentire existimabatur, vereriq̄ finem rei, quo nam eua-deret: sicut ipsis etiam consulebat. Accessit postea sermonis suauitas vnà cum iustitia, quæ ad persuasionem magnam vim habuit. Sed si obtēperarunt, et persuasi sunt, quo modo verberibus eos affecerunt? obtemperarunt quidem eatenus, vt a cæde abstinerent: ad eam enim furiose inhiant. flagellarunt tamen ne temere & contra fontes incitati fuisse viderentur. ac profectò, q̄ impetus ipsorum resolutus ac rerusus fuerit, virtuti consultoris: q̄ flagris ceciderint, insito ipsorum furori attribuendum est. Veruntamen hac in re q̄ in melius p̄fecerint apostoli, inde potes cōspicere, q̄ afflictationibus quibus illi eos opprimendos esse sperauerant, magis illecti sunt atq̄ incitati, vt aperte atq̄ interrîte ad docendum p̄darent: neq̄ in abdito, sed in templo rursus vnde fuerant comprehensi, et vbiq̄ alibi Christum denunciarent: atq̄ ita vanum eorum qui contumeliam in se intulerant, studium auditoribus ostentarent.

De creatione septem diaconorum, & Iudæorum in  
Stephanum calumnatione. Cap. VI.

**I**N diebus autem his cum augeretur multitudo discipulorum, orta est susurratio græcicorū aduersus Hebræos, q̄ in ministerio quotidiano uiduæ ipsorum negligenterent. conuocata igitur multitudine discipulorum duodecim apostoli dixerunt: non æquum

est, ut nos relicto uerbo Dei mensis ministremus.

Non in hisdem diebus, sed in quibusdam sequētib. more enim scribētium utitur, cum ad principium alterius narrationis transituri sunt. Græcanicos autem id est ἑλληνιστῆς, non qui religione erant Græci, appellat, sed qui Græca uoce loquebantur: quasi Græcissantes, dixeris. Cum uero susurrationem ortam inquit, aliud tenrationis genus ostendit, non ab externis, sed a domesticis illata. atque in hoc apostolorum comprobationem uidere licet, qui cum vndeūque & ab externis & ab internis appetentur, vndicq̄ uictoriam reportabant. Nam cum duodecim ipsi multitudinem aduocassent, eos uidelicet in quos præsentia huius utilitas deuentura erat, electionem ipsis committunt. indignum ducētes si ipsi posthabita Dei prædicatione circa mensas exhibendas occuparentur. Vnde electos quosdam ministros creauerunt, id est diaconos: non illos quidem in gradu eo constitutos qui nunc est in ecclesiis: sed eo munere, ut accurate & pupillis & uiduis & non negligenter alimēta distribuerēt: ac pupillis & uiduis præcipue, ob quas susurratio exorta maxime fuerat. ministerium autem. ἰ. *σπυριον ἰσεν* uocat eleemosynā, id est misericordē erogationem, quæ & facientes sanat, & accipientibus honorem præstat. Potest etiam per ministerium quam *σπυριον ἰσεν* dicit, publica suppeditatio intelligi. Diaconium siquidē publicum prōptuarium appellare Græci solent: eo q̄ eò vnusquisq̄ *σπυριον ἰσεν*, ἰ. festinans ac celeriter acce-

dere consueuerit: atq; illuc ea inferre, q̄ ad vsuū publicum comparantur. Quòd uero uiduæ negligenterentur, id non ex uitio, sed ex negligentia multitudinis eueniebat. vnde vbi rei huic cura adhibita fuit, omnis querela sublata est.

Dispicite igitur fratres, uiros ex uobis testimonio comprobatos septem, spiritu sancto & sapientia plenos, quos muneri huic præficiamus. nos autem obsecrationi & ministerio uerbi perseveranter incumbemus. placuitq; sermo coram omni multitudine. & elegerūt Stephanum uirum plenum fide & spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenan, & Nicolaum profelytum Antiochenum: quos ante Apostolos constituerunt. & precibus factis manus ipsis imposuerunt. Et Verbum Dei crescebat. & numerus discipulorum in Hierusalem ualde augebatur. & multa sacerdotum turba fidei obediebat.

Repletos spiritu sancto & sapientia esse eos q̄ eligendi sint, commissio hæc apostolorum uult: non enim dissipantium esse hoc munus uidetur: neq; est cuiuslibet, uiduarum & pupillorum cōuicia interdum ferre. nam licet fur quispiam non sit, si tamen uel defes atque eiusmodi fuerit, ut multa per negligentiam perdat: uel iracundus, ut qualibet uel leui causa indignetur, neque nugas vulgi patienter toleret, id qd̄ maximum sapientie indicium est: nulla præsentia huius utilitas existet. Crescebat autem uerbum Dei inquit,

ralem ob rem, quanta eleemosynæ vis sit, ostendens, vt ex collegio sacerdotum etiam nonnullos ad fidem adduxerit.

*Stephanus autem plenus fide & potentia prodigia & signa magna faciebat in populo.*

Cum septē horum creatio communis fuisset, is quia ipse aptior erat, maiorem gratiam ex electione consequutus est. nam cum ante creationē prodigia non faceret, vtpote nondum manifestus: vbi per creationem notus est effectus, tunc donum quod ex creatione collatum ipsi fuit, manifestauit. vt planum esse omnibus posset, non solam gratiam sufficere, sed ad gratiæ incrementum electione quoque & declaratione esse opus: atque id pro excipientium aptitudinis diuersitate.

*Surrexerunt autem quidam, qui erant e synagoga quæ dicebatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant e Sicilia & Asia: qui cum disputarent cum Stephano, resistere non poterant sapientiæ, & spiritui, quo loquebatur. tunc summiserunt viros qui dicerent, se audiuisse eum verba maledica loqui in Moysen, & Deum. concitaruntque populum & seniores & scribas.*

Surrectionem rursus iritationem, & incitationem Iudæorum vocat non ex se tantummodo, verum etiam ex alia turba, quæ videlicet ad disputandum & cauillandum esset idonea, Libertinorum, & Alexandrensiū, & Cyrenensium,

& Cilicum, & Asianorum. & sicut ex alia turba disputatio, ita quoque per alios accusatio subornatur: id quod dolosorum & diffidentium hominum est, nam cum a Gamaliele inuehi contra apostolos prohibiti fuissent, nihilque eis crimini dare possent: Stephanum nunc calumniose inuadunt, leguleorum inquisitione & disputatione frustrati. **ALITER.** Libertinorum & Cyrenensium, et Alexandrensiū) utpote qui apud Hebræos in captiuis disputationibus principatum obtinerent. quorum diuerse per singulas nationes habitantium in Hierusalem erant synagoga. synagogas enim, id est cōgregationes et cōuentus, loca videlicet separata, atque ad lectionē legis Moysi destinata habebant: quippe cum multi adorandi causa cum in Hierusalem ventitarent, præcipue ad Pascha, quod extra Hierusalē celebrare non licebat, ibi commorarentur. ne. n. a patria discedere frequenter cogerentur, illic assidebant. Libertinos autem Romanorum manumissos vocabant. Cum igitur Stephanus cum ipsis eo quod indurati erant corde, colloquendum sibi esse non censeret: ipsi propria temeritate freti, ad disputandum cum eo se ingerebant: cum eo autem & non cum alio, partim ob inuidiam, eo quod signa ab eo efficiebantur: ut si aliquo modo in hesitationem eum induxissent, dedecus ipsi conciliarent: quippe qui eorum quæ prædicaret, esset ignarus: partim ut disputationis distractione efficeretur, ne ei ad signa facienda ocium suppetere. ob hæc igitur cum eum inualissent, velentque versute ad dicendum aliquid contra le-

gem inducere, id quod precipue studebant, ipse versutia ipsorum præoccupata vehementius à principio contentionem aggressus & potentia spiritus qui in ipso erat, & sapientia, eos in silentium compulit. tum ad ea etiam quæ ipsi volebant, devenit, sed obscurius tamen, ac latenter, ut neque ea satis intelligere potuerint. Quo effectum est, ut postea atrociter in eum impetum fecerint: & ipse apertius quod cupiebant, ingereret. quid id erat? legis dissolutio sanè, et finis. id enim prius non explicabat, sed abstruse significabat, atque innuebat: nam si aperte dixisset, falsis testibus minime fuisset opus. id quod sicut ipsi desideratum finem, ita illis perniciem præparabat.

*Et superuenientes corripuerunt ipsum, & in concilium duxerunt.*

Utique latronum more se gerunt. prius Christum cum sanguinarijs hominibus cum facibus & laternis & gladijs comprehendunt: postea Petrum & Ioannem de templo abstrahunt: nunc Stephanum de magistrali loco correptum ad concilium iudicandum abducunt.

*Statueruntque testes falsos qui dicerent, homo iste uerba maledica contra locum sanctum hunc & legem loqui non cessat. ipsum enim audiuius dicentem, Iesum hunc Nazarenum locum hunc esse dissoluturum, & instituta quæ tradidit nobis Moyses, immutaturum.*

Subiecerunt ac subornarunt viros qui dicerēt, se audiuisse eum verba maledica loqui in Moy- sen & Deum. quæ verba erant hæc: Iesum vider- licet Nazarenū locum hunc esse dissoluturum. atqui dixerat hoc quidem Stephanus, licet non ita aperte. quo pacto igitur supposititiū hi & fal- si testes sunt existimandi? quia nimirum non si- cut audiuerant, ita nugabantur. Quoniam ergo aliter audiuerant, aliter vero ipsi in ijs referendis progressi fuerant, merito falsi testes appellātur. Quemadmodum de Christo falsum testimoniū fuit, q̄ templum posset dissoluere, non enim di- xit, solvam, sed, soluite, illis non sibi dissolutionē ascribens. ita nunc quoque falsi sunt, qui Step- hanum asserunt dissolutionem legis & loci Naza- reno attribuisse, quasi homo Nazarenus manu sua, & non Deus Romano exercitu id esset fa- cturus. nam Moy- sis instituta Deus ipse manife- ste, & per discipulos suos & Apostolos in melius immutauit. Nazarenum autem per exprobratio- nem dictum est. nusq̄ enim Stephanus Christū Nazarenum appellauit, sed ipsi Hebræorū prin- cipes. Nam Stephanus venerabilem ipsum Chri- stum semper modo iustum a prophetis denuncia- tum, modo semper Deo assistētem vocat: vt ex- proposita eius oratione p̄spicuum est, qua cum a misera hac vita absolutus recessit. Locum hūc esse dissoluturum) multa enim reuerētia ac curā templi ipsis erat, vtpote qui incolendum ibi si- bi esse censerent. duplex autem accusatio est, q̄ & instituta esset immutaturus, & alia introdu- cturus. prætēditur vero vbiq̄ Moy- ses, propterea q̄ non

Matt. 26. f  
Ioan. 2. d

q̄ non admodum Dei institutionum, sicut Moy-  
sis rationem habebant. ita penitus ad solam vul-  
gi famam viuebant.

*Et cum intente in ipsum inspicerent omnes qui cō-  
sistebant in concilio, faciem eius uiderunt, quasi faciē  
angeli.*

Ita siquidem effectum est, vt qui in inferiore  
etiam gradu esset, graciosus, & splendidus inspi-  
cientibus appareret. vt igitur illi apud quos di-  
cturus erat, terreantur, terrifico faciei splendore  
ad attentionem orationi conciliandam animos  
eorum percellit.

De Stephani concione, in qua de testamento Dei ad Abrahā  
& de duodecim patriarchis, de fame & emptione frumē  
ti, & recognitione filiorum Iacob: de ortu Moylis et  
apparitione ipsi facta in monte Sina: de exitu  
ex Aegypto: de fabricatione vituli aenei  
vsq; ad Salomonis tempora, & tem-  
pli ædificationem: de lapidatione  
Stephani, Cap. VII.

**E**T dixit Pontifex, nunquid hæc ita se habent?  
Ipse uero ait: Viri fratres & patres audite.

Vide ipsum non ingerere se ad docendum, sed  
ab interrogantibus cogi: & posteaq; superior &  
oratione fuit et signis, intolerandum ipsis fuisse.  
Falsa autem mercede subornatorum testificatio  
introducenda est, ne contumeliosa res, atq; insolens  
esse videretur: quippe cum Deum non timerent,  
sed ad hominum gloriam tantum spectarent. Sa-  
piens autem re vera & prudentia plenum exor-  
dium est, nominum enim hac cognatione signi-